



Quotidiana Christiani Militis Tessera

Stanyhurst, Guillaume

Coloniæ Agrippinæ, 1682

18. Dies Maii. Sceleris in scelere supplicium est. Seneca Epist. 97.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55659](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55659)

18. DIES MAII.

Sceleris in scelere supplicium est. *Seneca*
Epist. 97.

Peccatum 1.
 est conscien-
 tia tormen-
 tum.

EX peccato carnificæ, sequitur
 animi peccantis carnificina.
 Nullum majus est supplicium
 scelerato, ipso scelere. Vix culpa
 est admissa, mox quies omnis est amissa. Nam subito
 reus noxæ, fit undique terrori obnoxius. Illa enim ut
 Poetica illa Erynnis, ferro, & flamma, & multiplici
 dracone cincta, tetroque illo apparatu, nescias ma-
 gis nefæda, an sæva, furiali morti circumfistit; ac ter-
 rifico suo aspectu, flagellum intentat. Adest domi,
 comitatur foris, non deest in lecto, sævior in rebe-
 ratarum horrore: non mirratorum Pontificum tia-
 ras, non coronatorum Regum sceptræ, non trabea-
 torum Cesarum diademata, non purpuratorum Prin-
 cipum, militares excubias, non cocco rubentes pur-
 puras, non auro crepantia paludamenta, non suspi-
 ciendas procerum togas, non bellica militum faga,
 non marmoribus crustata palatia veretur, nec reve-
 retur. Ubique protervè se insinuat, omnes importu-
 nè interpellat, nusquam non audacter se ingerit,
 nunquam non oculis sese objicit, inter nummos, &
 histriones comæos, cothurnis incedens excitat tra-
 gædias, inter ludiones illudit insolèter, dum ludos lu-
 dit insolentes. Licet in geniali convivio, in Pontificias
 Cænas, volitet per triclinium, septa jocosum comitatu
 hilaritas, nulla tamen vel tunc est in fronte serenitas,
 in

in mente tranquillitas, in corde suavitas. Dum inter belluata aulæa canunt aulædi fidibus, adest illa belua, & aures infestat luctibus, dum illi delectantur futilibus fescenninis, illa terret tristibus elegiis: inter epithalamia, proponit illis epitaphia.

II. Illud certum, pœna, & culpa sunt conterminæ. Est morte atrocius malum, vitam traducere malam. Sunt mites Diomedis equi, Busiridis aræ, & Syllæ carcer, & Busiridis taurus, collata cum conscientie laniena. Pelusii sævum vindicaturi parricidum, non damnabant ad equuleum, neque culeum, sed citius aliquid excogitarunt, piæ scilicet matris naturæ ferulam, conscientiam. Ad summam atrocitatis exemplum, hoc unum voluerunt esse tormentum, cogentes per triduum, parricidam spectare cadaver occisi parentis, ut sic puniretur enormissimo omnium supplicio, admonitione facinoris. Sceleris admitti testimonium, est supra omne supplicium. Nemo fuit Tyrannorum, ut alicui non indulserit, nemo quem aliquis non evaserit, nemo quem satelles non nunquam fefellerit: conscientie solum severitatem, nec fraus, nec fuga illudit. Non flexile illi cor, ut demitti, non pernice nobis pedes, ut elabi, non amicis manus, aut altutæ, aut validæ, ut liberari possimus. Nemo à se fugit, nemo extra se currit, nemo sui cordis est aëcola, quisque est incola: nullus suæ mentis est advena, nec pectoris transfuga, hinc nullum pœnæ effugium. Igitur peccasse, ineluctabilis est Tyrannis, anima quæ peccavit, pœna culpæ sicut est conlectanea, sic & collectanea.

III. Nullus inter omnia sua, habet asylum sui. Frustra ergo post culpam, cogitas fugere, cum extra

pectoris limites non sit transfugium. Sis licet tutus, nunquam eris securus: non plus quam reus sub carnicis securi, Semper pavet, etiam dum pavenda studiosissime cavet: metuit ubi nihil occurrit metuendum, licet non sint inimici quos timeat, in se habet quod timet. Fugit lictorem, evasit spiculatorem, non sufficit, se tenebit: nec à se unquam ut securus sit obtinebit. Formidabit etiam tutus, etiam tuta. Non potest animo confidere, licet in Tyranno invenerit fidem. Simili planè in nos auctor naturæ animadvertit supplicio, ac barbari illi, qui mortis reos alligabant cadaveribus, ut fœtore torquerentur. Alligata nobis est pœna post culpam, cujus cadaver restat, pavor, pudor, dolor, *Et nocte dieque suum gestant in pectore restem.* Infestior est talis animo testis, quam collo prædonis suspendendo testis. Nullum itaque tam afficit damnum, quam conscientia damnans. Est enim miserrimum genus miseræ, conscientia suffragio fieri miserum. Et quod est omnium caput, nullum non scelus capitale cuique apud se est, etiam post indulgentiam omnium. Quid prodest, si omnes eum absolvant, dum, quæ est instar omnium, conscientia illum condemnat. Audi Poetam:

*Si quis delinquit, prout Paulus Apostolus inquit,
Qui consenti ei, fit reus ipse rei.*

19. DIES MAII.

In uno, eodemque opere malo, diabolus suggerit, homo consentit, Deus deserit. *S. Augustinus contra Faustum. l. 14. c. 11.*
Cor-